1493.

Dialogꝰ in defensionem poeticeſ.

Ad Libellum.

J liber ⁊ nitidas celerem te confer ad arces.
Pꝛesulis: ⁊ docti pꝛincipis ante foꝛes.
Quid dubitas ne te tetrice discrimina frangant
Turbe: vel rigidi pꝛobꝛa supercilij?
An scombꝛis tunicas renuis: thuriqꝫ cucullos?
Pascere vel scabꝛas foꝛdidulus tineas.
An te difficiles remoꝛantur cardine postes?
Nulla moꝛa est: licet hinc officiosus eas.
Non est qui ignauos teneat foueatqꝫ clientes.
Gaudeat aut vastis turgidus agminibus.
Quin potius sanctos illic mirabere moꝛes.
Nec qui difficilem se tibi pꝛestet erit.
Uerum vt sacratis pꝛimum tete vultibus offers.
Concidis ⁊ docti flaminis ante pedes.
Excipiet pꝛonum castis amplexibus: Jnde
Perleget: ⁊ docto ꝓteget ingenio.
Dum tamen a sacris manibus tractabere: pꝛesens
Jsta velim memoꝛi pectoꝛe verba feras.
Dant alij fului certatim dona metalli.
Gemmas ⁊ tyrio vellera tincta fuco.
Concretas glacies: massyllaqꝫ roboꝛa: ⁊ oꝛbes
Raraqꝫ Erythꝛei munera queqꝫ soli.
Jste per exiguo tibi me pꝛoperauit honoꝛe.
Jussit ⁊ insignem nominis esse tui.
Quod licet exiguum testetur muneris auctoꝛ.
Addidit ast mentis pignoꝛa firma sue.
J liber ⁊ nitidas celerem te confer ad arces.
Pꝛesulis: ⁊ docti pꝛincipis ante foꝛes.

Augustinus Moravus Olomucensis. R. D. Joanni Episcopo Uratislaviensi. S. P. dicit.

On inutilez a maioribus nostris consuetudinē obseruatam inuenio Presul Reuerēdiss. & a Platone illo diuinissimo in posteros etiā traductā: vt si res aliquas p varietate diuersa qñqz opinantiū ptractandas forte susciperēt: sermonib9 eas siue dialogis qbusdā potissimū cōmitterēt. Ut dū i eis varie interlocutoꝝ repeterent̄ sn̄ie: eruerent̄ mox aliqd qd sibi solers lectoris ingeniū nō aliter quā ex vberiore quodā litteraꝝ penu depromeret. Sic idē Plato cō Socratē illuz oīum sapientissimū cū phedro Gorgia vel Thymeo varijs de rebus disputantē in libris suis introduceret: ita validis vtrobiqz rōnibus dissertabat: atqz ita rez ip̄am oi ex parte munitā relinqbat: vt difficile intellectu foret: in quē finē sua ipse opinione euaderet. Sed quorsum ista inqes? Quū nouissimis ijs dieb9 Presul Reuerēdissime p veteri patauini gymnasij more legēdi officio doctorib9 nr̄is vindemiādi gr̄a indiceret̄: fieretqz ob eam rem in studijs nostris intermissio quedā: Repetere mox mecuz ipse cepi Censorij illi9 Catonis sn̄iam: Non min9 ocij q̄ negocij rōnem esse reddendā: tanq̄ scz & ociuz ip̄m aliqd in se honesti laboris ꝯtineat. Quū itaqz animū meū in varias cogitatiōes distraherē. Quodnā videlz mihi in hoc studioꝝ meoꝝ tyrocinio exercitationis gen9 obeundū interi foret. Nihil mihi vtilius visuz est: quā platonico illo īstituto ad id genus scriptionis me cōferre qd nō min9 eruditiōis cōtineret: quā leporis: faceciarū: & salis: vtpote qd quotidiani ꝟmonis formulā: & affectuū qualitate effingeret: & Adagijs dicterijs & iocis nō secus ac florib9 quibusdā amenioribus lasciuiret. Id ip̄m itaqz vt ad ipsius etiā originis ei9 rōnem vnde id emanasse dixi instituerē: talem mihi potis-

fimum materiā deligere volui: quā ita effingerē tandē: vt
queādmodū platonicis illis dialogis: sic sermonib⁹ etiā
istis qd sibi ꝓuidus lectoris anim⁹ eliceret, relinqueretur.
Quis nāq tam cecus est q nō videat qbus mō impitiorū
latratib⁹ preclarū poetices institutū premaē? Quis rursū
ita improuidus: q varias etiā Empericorū fraudes: q̄ in
curādis corpibus hūanis passim emergūt: nō aiaduertat?
Proinde nullū sani⁹ consiliū restabat: quā lepida quadā
ꝯcertatione ⁊ poetice dignitate asserere: ⁊ recriminatione
quadā reciproca quatenus Medicine studendū foret non
obscure similiter declarare. Verū eniuero quū diligētius
ipse mecū ꝑtractarē: cui nā istud qualecūq libelli est nūcu
parē. Variosq ob eam rem cum Germanie principes:
tum Boemie etiam Pānonie Morauie ⁊ Slesie qbus
aliqua bonarū litterarꝫ ⁊ antiqtatis cura videreē repeterē.
Tu mihi preter ceteros Presul reuerētissime occurristi:
apud quē lr̄e Romane hac tēpestate nr̄a tanq̄ domiciliū
quoddā sibi ꝯstituisse videnē. Omitto enī res tuas ꝓclare
cū domi tuē foris gestas: ommitto quāta Modestia Do-
ctrina Sanctitate ꝑ tua pontificia ꝑtāte: apud Lauātinos
olim: nūc āt in sacratissima Vratislauiēsi Katedra excel-
lueris (hec enī alterius tpis dictionisq existimo) vel ob id
maxie qd ea tibi cū multis cōmunia putē: At litterarꝫ peri
tia: multarūq optimarū disciplinarū cum dignitate fasti-
gium: tantū in te splēdoris supadiecisse videnē: vt non te-
mere qs iudicauerit rerū ne abs te bene gestarū gloria: an
lr̄arum gr̄a supior existimādus sis. Accessit cōsilio: qd cele
berrimo huic patauino gymnasio: ex quo hec nr̄a quātula
cūq sunt ꝓdiere: ea aliqn̄ cū laude ꝓfueris: vt modestie cō
silio liberalitatiq tue: qbus id amplissime cumulasti: ppe
tuo se debere fateaē. Nāq se abs te adhuc obseruari: vel
eo etiam argumēto colligit: Quod Henricū cōsobrinum
tuū: rare indolis adolescentē: mihiq beniuolētia ⁊ amore

mirifice cōiunctū: sinui suo fouēdū instituendūqz credideris: nil tibi iucūdius ratus quā si (qm̄ adesse ipe nō vales) vel eo saltē exprimerere. Has itaqz lucubraciūculas nr̄as noi tuo nūcupatas: serena frōte (sicuti oia soles) p̄sul Reuerentiss. excipito: nō vt eminētie tue cōdecens aliqd munus. Sed qd is mihi visus sis: cui tanq̄ palatino cuidam Apollini ingenia tēporis nr̄i oia cōmittere se debeāt: vt q̄ obscura alias viderētur: ex te ꝛ lumē capiāt ꝛ auctoritatē: ꝛ quod precipuū est: sub tuo etiam presidio ab imperitiorꝫ morsibus tute ꝛ secure cōquiescant. Non enī sum nescius eas (vt pleraqz oia) imperitiorū latratꝰ effugere oīno nō valere: vtpote vbi Empericorū nostrorū causam cōpares multi suscipiēt. Eos tn̄ tāti existimē oēs: vt quicqd in me p imprudentiā ꝛ inscitiā iactauerit inertis cuiuspiā atqz ignaui hominis ineptias putē: dūmodo exactissimo iudicio tuo vtcūqz probari se sentiāt: Quid est si obscuri quidā tenebriones p liuorē acerbius eas inclamēt. Uale p̄sul doctissime. Ex gymnasio patauino Idibus Nouēbribus.

Laelius Augustinus Bassareus. Interlocutores.

LAE. Salue Augustine. AV. Hem quā exoptate qui mihi seculū absuisse videbare. LAE. Nūquā tamen tam oportune: quin adueniēs inter Musarū choros te occupatū inueniā. Uel eniꝫ vsqꝫ adeo nullā animo tuo intermissionez dare cōstituisti: nisi earum fontis omēs helicona deniqꝫ totum exorbeas. AV. Quidni istuc inq̄: Quid enī iucūdius quā id ipsum ocij qd honestis laboribꝰ ꝯceditur inter hec studia ꝯsumere. Et duras animi solicitudines: easqꝫ curas q̄ interagēdum incidunt: Lepido isto fabellarū oblectamēto emollire: LAE. At qui grauioribus id agēdum puteꝫ: ꝛ que institutioni humane aliquatenus cōducerent. Quid eniꝫ mihi

afferet vel Thypheus vel Rhetus? Quid Eurystheus pelops Daphne hyppodame? Quid Minos ⁊ Rhada manthus? Poetarū ⁊ pictorū (vt Cicero dicebat) portēta quedā. Num eni moueat quenq̄ qd triceps apud inferos cerberus fingat? Cociti fremitus: Transuectio Acherontis Mento summā aquā attingēs: siti enectus Tātalus? AV. Quasi vero ea que poete iucūdo isto figmentorū inuolucro obtexūt: ita oīs rōnis exptia existimes: vt preter verborū lenocinia: nihil humane institutioni relinquant? LAE. Ita prorsus existimo. AV. Videris de optimis ingenijs male meritus: qui putes tot p̄clarissimos homines: vigilias suas ⁊ cōtinuas animi cōtentiones ad solam voluptatem retulisse. Neq3 hec preterq̄ oblectandis auribus tanto labore concinnasse. LAE. Quapropter vt de ijs fortiorem palestrā ingredi liceat: a Musis hisce tuis aliquantisper te reuoca. Nam ⁊ ratiocinabimur liberi⁹: atq3 hāc nos prouinciā insumpsisse: vel ipsa sententiarū disparitate nō nihil iuuerit fortasse. AV. Recte censes. Nanq3 ⁊ ipse id genus certaminis non vnq̄ detrectandū existimaui. Ex eo eni cum veritas eruit tum infirmiora alias ingenia hoc tanq̄ tyrocinio in vires suas validius animātur. Verum quoniā in tāta insultantiū hoīum frequētia vix euenire possit vt libere mēte ⁊ viribus alterutro cōcertemus: quē eni populares he turbe intra sese cōsistere p̄mittant: tuarum partiū fuerit: locū huic nostre disputationi cōmodum deligere: in quo indiuiduo cōtubernio philosophemur pariter: ⁊ ex ipsa loci amenitate: laxandis post animis nō nihil etiam indulgeamus. LAE. Idipm scil3 querebā: Maxime vero qd amicū quēdam tuū suscepisse te viderim: hominem vt videre tum mihi visus sum haud inuenustulū: ⁊ vt ex vultu ipso cōiectari licet: nec illepidū sane. Sed nostin pomeriū illud: quod pone diue Magdalene phanū: paululū in meridiē flexu deriuiū Medoaci orientē versus

recta transmittit. AV. Optime. LAE. Hoc mihi preter ceteros amenius visum: vbi et loci opacitas: et aque lene decurrentis adlapsus: nos cōmodum inuitet. AV. Ut lubet inque ceterū quom habitiore sis corpore: et vētre aliquāto proiectiore. Vereor ne intercūdum (longiuscula eni3 via est) tibi noue aliquid molestie inferas. LAE. Atqui Mirmicino (vt aiunt) gradu: facile idipm quicqd est itineris superauerimus. Quod si me ea quā dicis corporis mole defatigauero: teipo pro Scipione vtar. AV. Ut voles facito. Sed eccum amicus noster dum pgredimur opportune adproperat. LAE. Ille ne quē nudiustertius ex itinere venientez susceepas? AV. Ille scilicet LAE. Tertiatos gradit passus vt iam timea3 si hūc associemus id quod de me veritus es medio vie spatio deficiat. AV. Nugaris. Salue bassareu. BAS. E caupona recta descendo. AV. Quin virum hunc salutatū accedis? BAS. Ita est pfecto quod aiunt. Nihil fortuna rennuēte posse homini satis dextrū accidere. Nā q3 ego dum lautioribus hodie cibis aqualiculū meū saginare discupio: atq3 ob id ad cauponē quendam (quem dij deeq3 pdant) famigerabilis diuerto: exiguo iure carniu3: coq3 macro atq3 insipido: famē intolerabilē cōpescere cogor. LAE. Res suas agit: sine se e patinis et ganeis expediat atq3 idipm vini qd ei hausit tantisper exhalet. Nos ne hic hora pterea: ad constitutū locum vt cepimus ptendamus. Placet consiliu3? AV. Immo vero pplacet. Tu tñ Bassareu vti soles lēnius: nec nisi ptentato passu cautius subsequere. BAS. Desine adhortarier. Nam me ne Ladas quidē pedum strenuitate viceerit. AV. Bene nobiscū actum Leli. Ex quo eni domo excessimus: atq3 cogitabūdi pari vterq3 silentio in varias cogitatiōes distrahimur: idipm qd superat vie iam pene cōfecimus. LAE. Ita hercle factū. Ecce eni ad manū pomeriū. AV. Istud ne ad leuā? LAE. Istuc ipsum. AV. Longius id positu3 existimaram.

LAE. Hoc est qd̄ vides. Uerum hanc arborē aspice. AV. Admonere me videris platani illius: quaꝫ in phedro suo diuinus ille Plato disputatione Socratis adprime illustratam reliquit. Nam ⁊ opacitas est eadē: aquula subter labens nō minus huic ꝙ̄ illi fecūdioris fomēti suppeditat. LAE. An ne hic quiescendū putas? AV. Maxime: talia si quidez loca ingenio ⁊ musis vehemēter accōmodata iam pridem exptus sum. LAE. Percōmode mihi modo mediusfidius Musarū memoriā subijcis. Id eni erat cur id te potissimuz loci subire voluerim. Enitar eni Psaltrias has aio tuo si non excutere oīno: at magis magisqꝫ indies exosas efficere. AV. In ea scꝫ cōtinue sentētia pstas: vt me minus recte poetice addictū existimes. LAE. Incōsulte pfecto. AV. Cur istud? LAE. Quod fabulones nescio quos legēdo: honestiora studia contēnas. AV. Nescio que honestiora ista studia existimes: vt earū vel dignitate vel elegantia: inuisam mihi tātopere poeticen efficias. LAE. An vero nō honesti⁹ foret si Medicine poti⁹ ꝙ̄ ijs nugis incūberes? qua nihil qd̄ sciam a dijs immortalib⁹ vel salubri⁹ vel melius generi hūano cōcessum existimo: cuius etiaꝫ vt originē primā reticeā. Qualiter aut ab Apolline inuentā dicant. Uel Esculapio: quom Tyndarida reuocauisset. (Nolim eni fabellis hisce auctoritatē aliquā huic arti captasse me iudices.) Nōne diuinū id mun⁹ existimari vel hoc vno argumēto pōt? quod quom varijs casibus siue natura siue violentiori aliquo fato simus expositi: hoc tñ singulari ac vnico presidio: ⁊ vitam vindicem⁹ Morbos fallamus. Ac ne quid eorū accidat: longe etiā nos ante pmuniamus. Taceo quot pclari viri i ea effloruerint: ⁊ quātus suo cuiqꝫ tpe honos impēsus. Inter q̄s hypocratē Esculapium: Podalliriū: Machaona: Pytagorā: samiū Demochritū: Abderiten: Apolloniū: Glautiam Gallenū. Nōne tpibus nostris: vniuersa hec patauina ciuitas: mi-

serabilem Petri leonis exitũ nõ secus ac cõis cuiusdã parentis ingemuit? Cuius virt⁹ vel ex hoc insignis erat: qđ nullius vnq̃ curã suscepisse visus sit: q se diligẽtia ei⁹ vel restitutũ: vel examussim refectũ nõ p̄dicarit. AV. Nõ sum nescius quãta in existimatione apud veteres prisci illi⁹ sc̃li hoĩes: hec ipsa medicinalis sc̃ia semp̱ sit habita: vt q ⁊ inuentores ei⁹ dijs primũ assignauerint: ⁊ quom p̱scrutãdis secretiorib⁹ nature rebus vigilantius incũberent: nulli tñ impẽsius studendũ arbitrabãtur: quã illi ex qua vnicũ (vt dicis) ac singulare mortalib⁹ presidium cõstaret. Viguerunt tum temporuꝫ bñficio clara ⁊ sincera ingenia. Neqꝫ gloriosius existimabaꝉ qnicq̃: quã id qđ quisqꝫ multa ⁊ cõtinua exp̱ientia didicisset: in cõem veluti cãm: mira animi sedulitate impẽderet. Verũ quom ea res mercẽnario tandem q̃stu agi cepta est: quã rem a protideo quodã Silumbrie nato: emanasse ferunt primũ. Quid porro de ea sentienduꝫ sit: nõ intelligo nisi hos quos olim salutis hũane auctores habuim⁹: in cõem humani generis pesteꝫ ⁊ pniciem quodãmodo trãsijsse. Neqꝫ eni dubiũ est (vt p̄clare Seneca inqt) oẽs istos famã nouitate aliqua aucupãtes: aĩas statim nostras negociari p̱iculis nr̃is discere exp̱imẽta p singulorũ mortes expiri. Hinc ille circa egros misere sententiarũ concertationes: nullo idem cẽsente: ne videaꝉ assertio alteri⁹: quũ sit periculũ in nullo mẽdacio maius. Hinc illa infelicis monumẽti inscriptio: turba se medicoꝝ perijsse. Quinetiã quũ hoĩem interñcere capitale sit. Medico tñ hoĩem occidisse summa ĩpunitas est. Quãto igiꝉ sapientius sibi egyptij ꝯsuluisse videnꝉ: apud quos ita distributos medicos Herodot⁹ refert: vt singulorũ morboruꝫ essent medici: nõ pluriũ. Alij eni oculari sunt: curãdis tãtummodo oculis cõstituti. Alij capiti. Alij dentib⁹. Alij alui p̱tibus. Alij morbis ocultis: vt duꝫ singuli exequunꝉ qđ suũ est: min⁹ atqꝫ minus opibus suis fallãtur. Adde:

oẽs fere etatis nr̃e medicos Astrologie ignaros: q̃ tñ si vt Appollodorũ Albunasarẽ vel Gallenũ audias medicis adprime necessaria dignoscitꝰ Siquidẽ medicine atqz diui nationis (vt Macrobius meminit) ꝯsociate sunt discipli ne. Nam medicus vel cõmoda vel incõmoda in corpe futura ꝓnoscit sicut ait Hyppocrates. Oportet medicũ dicere de egroto.

idest q̃ sint q̃ fuerit queqz mox futura sequẽtur. Qd̃ diuinationis est ꝓprie. Et alibi. Qui võ (inquit) ea q̃ de re altissima tractauimꝰ rata tenẽt. Norint Astrologiã Medicie nõ minimã esse ptem. LAE. Queris sicuti video: vt Astrologos istos quos alias etiã abs te cõmẽdari audio: quẽad modũ poetas mẽdaces etiã coarguã? AV. Nihil moror: dũmodo id etiã de medicina cuiꝰ hanc ptem esse audisti: facias LAE. Alia Astrologie ⁊ alia Medicine rõ est. AV. Neqz istud inficias eo. Attamen si astrologiam huic adimas: nullius sane medici pharmaca expetiuero. Nã qualiter ea rite dispẽset: q nõmodo egritudinis: sed nec tpis q dem quo ea exhibere debeat rõnem obseruet? LAE. Qd̃ tẽpus ais? AV. Quod hyppocrates ⁊ alij obseruatiõe syderuz ⁊ lune potissimũ obseruandũ ꝑcipiuunt: vtpote. Si bilis atra medicina aliqua euacuãda sit: vt luna cũ venere Si flaua vt eadẽ cum Ioue. Si pituita vt eadẽ cuz Sole vel Marte radiatiõe vel occursu ꝓpicio cõsentiat. Ita tñ ne aliquẽ istor cui luna occurrit: vt retrocedere in circulo epicicli sui accidat: vel radijs solaribꝰ aduri. Quid dicaz de diebꝰ ijs quos Celsus Crisimos: Decretorios Latini: Nostri võ nr̃i Creticos vocãt? An vero certã eoꝝ rõnem hr̃e poterunt q cursum lune ex quo eos cõfici certuz est ignorẽt? Cornelij Celsi ista sunt verba. Est aũt alia ẽt de diebus ipsis dubitatio: qm̃ antiqui potissimũ impares seqãbantur: eosqz tanq̃ tunc de egris iudicarẽt Crisimos notabant. Hi erãt dies Tertius Quintus Septimꝰ No

nus Undecim⁹ Quartusdecim⁹ Un⁹ ꝛ Uigesim⁹. Ita vt summa potētia septio: deinde quartodecio: deinde vni ꝛ vigesimo dareť. LAE. Ita sñia ista tua: oē id quicqd vsꝗ̄ medicorū est: hūano ꝯsortio excludis: vt qḋ olim plato de poetis tuis censuit: id tu mō de medicis recti⁹ fore dicas. AV. Tanꝗ̄. s. si id eis accidat: inauditū quod dā piaculuꝫ admissuꝫ autumes? LAE. Ut lubet inquā. Nunꝗ̄ id mihi tū ꝑsuaseris: huiusce ꝓfessionis hoibus talē vnꝗ̄ ignominiaꝫ iniustā: vt vrbib⁹ ꝓpulsandi (quēadmodū poetis olim tuis accidit) decernerenť. AV. Mitius vt par est tecū agere institueram. Sꝫ quom ea bile i poetas vsqꝫ feraris neqꝫ aliqd ea in re tempes: idipm teli qḋ in me librabas: in te ipm validi⁹ detorsero. An nō legisti vnꝗ̄ a. M. Catone cēsorio illo: Medicos cū sua medicina vsqꝫ adeo reprobatos: vt eos nō vrbe solū: sꝫ tota penit⁹ italia summouerit: quom eos (diligēti⁹ q̄so ausculta) nō sanitatis artifices: sꝫ hoium carnifices diceret. LAE. Audio. AV. Uerū qḋ platonē obijcis videť platoni id qḋ. C. Scantinio ferunt: accidisse quondā. Hic eni quū aduersuꝫ pedicones rigidā ad modū legē dixisset: ea q̄ in multos ꝑmarij etiā ordinis ani maduersuꝫ fuisset illata vi filio Marcelli: sua ipe lege dānatus est: Ita plato noster quū hac districtione in poetas aiaduertēdum cēsuisset: ea ꝑte poeta iunctus est: q̄ vir hoi soluto: ne dicā philosopho: ꝛ ei rigido atqꝫ cēsorio cōueniat? Preterea q̄ vł de Astra puero vł i Alexi phedrūqꝫ ꝓ luserit. Lōgius id eni foret. De agathōe ꝛ dyone quodā siracusano: ꝑstrinxisse suffecerit quedā de agathōe hec sua nia inqt dans agathoni. Aiam ipse in labra tenebā. Egra eni ꝛ ꝓperās tanꝗ̄ abitura fuit De dyone vo ista cinib⁹ ingenti in pr̄ia laudate iaces nūc q insanū me aī reddis amore dyon. Sed grece id melius. LAE. Itaqꝫ medicinā oēm reijcis? AV. Nequaꝗ̄ si eam finib⁹ certis: ꝛ ad moduluꝫ quendā debitū reuoces. LAE. Quo pacto? AV. Ut Asiae

piadē olim fecisse ferunt. Is eni ut prōpto ad oīa erat inge nio medicinā oēm ad quiqȝ potissimū: q̄ sibimet quisqȝ p̄ stare posset: reuocasse dicit̄ ad abstinentiā cibi potus ⁊ veneris fricationē corpis: ⁊ ambulationē modestā. Preterea vero si qd accideret: id fato dandū. LAE. Modicis hāc nimiuȝ terminis claudis. AV. Quin ergo Quintilianū audis. Aspicite (inquit) maiorē ptem generis hūani: ⁊ si me interroges illā inq̄ robustiorē. Illā adhuc in prima reruȝ veritate viuentē. Nullos artis hui⁹ nouit antistites. Neqȝ mun⁹ tn̄ bellor̄ vulnerib⁹: morborūqȝ medet̄ icursib⁹. Non disputationū vanitate solers: sed exꝑimētis. Si fragilitatē mortalitatis incertosqȝ velim⁹ existimare casus: tn̄dem ꝑiculi hȝ oīs eger. Uidim⁹ frequēter ad vitā post cōclamata supma redeūtes pleriqȝ cōualuerūt negligētie bono. Et subdit: put igit̄ in nos plura seu rariora de terrenis seminib⁹: celestibusqȝ coierūt: ita vel duramur taci ta rōne vel soluimur. LAE. Incōstanter admodū mihi loqui videris dū medicinā mō laudes: mō vero vt ꝑniciem quandā reijcias. AV. Nil temere dictū quin etiā si recte aīaduertisti qcqd in eo vel enunciatū aspius vel graui⁹ dictum: i Empicor̄ id potissimū: nō medicine rephensionē tēdebat. Neqȝ eni tam vecors sum: vt tam diuinū btn̄qȝ inuentū vsqȝ quaqȝ reijciā. Cui⁹ obsuatiōe: moderataqȝ custodia: p id qd greci dietā vocant: ⁊ corpa corroborent̄: spū rēficiātur: ⁊ si qd mēbris pestiferū innascat̄: ꝑuida cura consopiat̄ atqȝ sedet̄. LAE. Ita. s. pedetētim ꝑducēdus eras: vt sic tandē in sniam meā cōcedens. AV. Et pedib⁹ ēt (qd aiūt) si tn̄ nō aliud ab isto sentias. LAE. Nō aliud inq̄. Uerūtamē ne intēto semp aio: ocio nr̄o plus q̄ oportet tribuam⁹: opepreciū existimo: anteq̄ de poetica aliqd disseram⁹: qd iste amic⁹ nr̄ ea in re sentiat: interea simul'r ꝑquiramus. Ita eni ⁊ aīs nr̄is aliquātisper indulserim⁹: ⁊ ad ea q̄ dicturi sumus laciorē nobis prouinciā apiemus.

AV. Probe cõsulis dãda siquidẽ est oĩbus in rebus īter-
missio quedã: ne plus ꝙ̃ cõueniat defatigati: ad ea que in
reliquũ tractãda sunt ĩbecilliores reddamur. Nam ⁊ plã-
te quom modicis alãtur aquis: quãmultis suffocãtur. Eo
dem mõ animꝰ quom mediocri vegetet̃ labore: sub nimio
demerius opprimit̃. Sꝫ heus tu Vallari venustule noster
talem ne (amabo) qualẽ Lelius affirmat medicine operã
impendendã censes? Anne potius ad ea pauca q̃ ex me au
disti: reuocandã? Bononie eni ea studia imprimis vigere
dicunt̃. Et habitus iste tuus oĩ ex pte ruber: te nobis (nisi
fallimur) medicũ ꝓdit. VAL. Aiaduertite igit̃ (qm̃ ita ꝯsti
tuistis) ⁊ ab ore meo diligẽtius cũcta pẽsate Bononiense
solũ: cũ ex multis p̃clar is rebus: tum ex eo vel maxime sin-
gulas Italie ciuitates facile supat. qꝺ in eo tãta Liberi co
pia inueniat̃ tãta obsoniorũ oĩum varietas: vt quom singu
le vrbes singulis aliqbus dotibꝰ illustrent̃: Bononia ab
oĩbꝰ peculiari deuerbio terra pinguis ⁊ fertilis dicat̃. Pre
tereo cenas splẽdidas: ac lauta repocia. Apicianasqꝫ illas
offulas. q̃ quotidiano illic munere apparãtur: ⁊ qbus tãq̃
ad saginã inuitabamur quotidie. Nam ea etiã loci ẽ ame-
nitas: ea liberioris celi clemẽtia: vt si aliqd ad voluptatẽ
addere velis: nõ inuenias. Quare nõ est cur ei hãc vrbem
v̄ram aut vini terrisqꝫ copia aut loci amenitate opponatis.
Tantũ eni abest vobis hac in re assentiar: ꝙ̃tum in vtraqꝫ
versatus: singula hec ꝓprio piculo cognoui. AV. Fornix ti
bi ⁊ vncta popina: incutiũt vrbis desideriũ video. VAE.
Mẽtio: at si qd: merdis caput inquinet albis Cornorũ: at-
qꝫ in me veniat mictũ atqꝫ cacatũ. Iuuius: ⁊ fragilis peda
ca: furqꝫ Voranꝰ. AV. Quãvellem inrisurãdi istius reus
inuentare: pnitẽs vnica: ⁊ tempestas baratrũqꝫ macelli.
LAE. Ingenue hec amico meduisfidiꝰ. Sꝫ verũ est ꝓfecto
qꝺ dicit̃: ⁊ de quo Crassus semel in vita risisse fert̃ similes
hñt labra lactucã: ⁊ sunt cardues comedẽtẽ. Hic eni quuꝫ

de medicina cōsulitur de patinis ⁊ cocis (qbus totus imer sus est) nescio qd cōminiscitur. AV. Quin ergo ad institutum potius nostrū reuertimur: ⁊ vel irrisaꝫ abs te tantope poeticen: iam tandeꝫ etiā adorimur? Volo siquidē añ oia cū Musis meis in grām redeas: atqꝫ id gen⁹ hoium q p̄claro hoc munere afflātur: nō secus ac oracula quedā suspicias. Res eniꝫ (vt Plato ait) Leuis volatilis atqꝫ sacra poeta est. Neqꝫ poetica prius canere pōt: q̄ deo plenus: ⁊ extra se positus. LAE. Bene extra se positū dixisti. Neqꝫ eni mōstra huiuscemodi theatris ac scenis quisq̄ vnq̄ ꝓduceret nisi extra se positus sibiipsi minime cōstaret. AV. Rē oēm ordine cognosces. Dabis te tū mihi hodie: atqꝫ tantisper rōnibus meis e cōtrario occurres: vt quāqꝫ efficatiorem existimaueris. Scio nāqꝫ quantus in clippeum assurgas: ⁊ quo turbine (vt Marco ait) torqueqs hastas. LAE. Perge vti cepisti. AV. Si veterū monumēta recēsere mihi anim⁹ esset o Leli: atqꝫ vt etatib⁹ singulis p̄clara mortaliū ingenia effloruerūt. Nihil vnq̄ expetibilius: Nihil p̄ciosius: Nihil deniqꝫ sancti⁹: diuino hoc munere fuisse ostenderē. Quid eni (p deos imortales) admirabili⁹ quā mētes nr̄as tali qñqꝫ vehemētia exurgere ita cōcitari. Ita diuino quodā furore corripi: vt dū calore isto inflāmati vires ꝓprias egredimur: nil aliud quā organa q̄daꝫ nos dijs imortalibus p̄stemus? Ob hāc eni cām (vt idem inquit) Deus nobis mentē surripit: vt nobis tanq̄ ministris vtat̄: oraculorū nūcijs: ⁊ diuinis vatib⁹ psp̄exerat id scā illa ⁊ ꝑpetuo venerāda antiqtas: atqꝫ ob id nil sibi gloriosius ducebat: nihil antiquius quā preclaro hoc munere afflatos: multiplicib⁹ certatim ⁊ p̄mijs ⁊ honorib⁹ eueheret. Dicēte Masone nr̄o: nōminus vere quā elegāter Cura ducuꝫ fuerāt olim regūqꝫ poete p̄miaqꝫ antiq magna tulere thori sanctaqꝫ maiestas: ⁊ erat venerabile nomē Vatibus ⁊ large sepe dabātur opes. Quin ⁊ Alexāder ille macedo:

(vt vel pauca ex multis referã) iter ditissimã Darij regis suplectilem: quũ loculũ qũq3 pciosissimũ vnionibus ⁊ gẽmis inuenisset: tantã pclaro huic muneri venerationẽ cõte status est: vt in eo libros Homeri reponi voluerit cõgruũ iudicãs pciosissimũ hũani ingenij opus: tali potissimũ scrinolo seruãdũ idem. Quũ Thebanã ciuitatẽ: Pyndaro poete Lyrico cunabulã: excinderet: familie poete ac penatibus parci pcepit reuocãs: oraculum quondã Apollinis Archiã tanq̃ scelestũ ⁊ pphanũ increpauisse: qd̃ poetaʒ Archilochũ interemisset. Sed grecis qd immoror? Nõne Maroni nr̃o nõ summus honos apud latinos impẽsus? Cuius poema quom in theatro recitaret: tanto plausu exceptũ est: vt ei populus Romanus assurgeret vniuresus: ac pñtem eũ atq3 spectantẽ: nõ secus ac Augustũ veneratus sit. Exuberabat enĩ ex nudãtis leticie magnitudo: neq3 intra pectoris latebras cõtineri aliquo pacto valuerat: quin ita sese effunderet: vt mẽtibus cuiusq3 carmis vehemẽtia altius insedisset innumerabilia mihi sane exẽpla suppeterẽt: qbus dignitatẽ poetices aduersuʒ te iure tueri possem. Quas tñ vel ob eam rem marie pterco: qd̃ inconptũ mihi adhuc sit: quorsuʒ rõnis tuc qbus tantope poetice in sensus sis: ptendant quapropter ne lõgiori istec ploquio: patrocinia q̃daʒ difficultatis struere me putes: aut ea quo uismodo in ostentationẽ loquacitatis iactare: animũ mihi tuũ omnẽ aperies. Eo siqdem pacto ⁊ rem ipam tractabimus liberius: ⁊ oẽ id qcquid argumentorũ fuerit: facilius depromemus. LAE. Semel atq3 iterũ audisti stultũ mihi videri id genus hominũ cõminiscendis solũmodo ijs nugis: tantum operarũ nequicq̃ insumsisse. AV. Quid si id medici tui faciunt? LAE. At ⁊ ipsi mendatioꝝ cõcinatores fient? AV. Ita. LAE. Nunqaã id ostendes. AV. Immo vero facile. LAE. Nunq̃ hercle. AV. An hec mõstris similia nõ sunt Theophrastũ (vt plinius scribit) credidisse

herbā quandā esse: cuius cōtactu illato a pico: exiliret cuneus a pastoribus arbori ipactus? Xanthū etiā in historia sua tradidisse: occisum Draconis Catulū: herba quadaz quā Gablym noīat morte reuocatū. Eadēqz Tylonē ēt quandā quē draco occiderat: vite et sanitati pristine restitutum? LAE. Quid tuz si ea fabulosa sunt? qd tñ nequaq̄ affirmē. An pterea herbarū potentiā: et v̄tutes eaꝝ oīs adimes? Neqz aliquā dabis: quā sanādis morbis ydoneam putes? Ceterū dic (sodes) Fabelle iste tue Aune diuino huic muneri qd simile cōtinent? An vero p̄ter voluptariū quiddā et qd auriculis mollioribꝰ solūmō pruriat: ciīipsis quicq̄ suꝑsit? AV. Uideo quorsum euadas q quoīn exteriora cōsideres: de ijs q̄ interius sunt: nihil oīno pēsi adhibes. An eni nō audisti aliqā fabula si exterius inspiciat nihil derisibilius si interiꝰ: nihil ad rōnem aptiꝰ? LAE. Audiui: Uerū q id fiat nunq̄. Tu igit q poetice patrociniū tibi vltro desumsisti: nūc eiꝰ simil'r explicādi ꝓuinciā aggredere. Quiusqz impmis qualiter id genus figmēti: hūane institutionis (vti ais) in se modulū quendā p̄scribat. AV. Id equidē volēs primū tñ rem tibi oēm summatim apiaz Tum id etiā qd q̄ris: mox ordine nō ingrato subijciā. Fabule itaqz: quarū nomē (vt Macrobius ait) falsi ꝓfessionem innuit: aut tñ cōciliande auribus voluptatis: aut adhortationis quoqz in bonā frugē grā repte sunt. Auditū mulcēt: veluti Cōedie quales Menāder apud grecos: eiusue imitatores agēdas dederūt: vel argumēta fictis casibus amatorū referta: qbus vel multū arbiter se exercuit vel Apuleiū nōnunq̄ lusisse miramur. Hoc totū fabulaꝝ genus: qd solas auriū delitias ꝓfitetur e sacrario suo in nutricū cunas sapiētes elimināt. Ex ijs āt q̄ ad quendā v̄tutū spēm intellectū legētis hortētur: fit scda discretio. In quibusdā eni et argumentū ex ficto locat: et p mēdacia ipe relationis ordo contexit: vt sunt ille Esopi fabule: elegātia fi-

ctionis illustres. In alijs argumentū quidē fundat veri so
liditate: sed hec ipsa veritas p quedā cōposita τ ficta pfer-
tur: & τ hec narratio fabulosa dicit nō fabula: vt ea que ab
hesiodo: τ orpheo de deorū pgenie actuue narrantur: τ q̄
mystica pictagoreorū sensa cotinent. Unde τ nō incōgrue
poeticā diffiniuit q ait. Poetica est ficte vereqꝫ narratio-
nis ꝯgruenti Rithmo vel pede cōposita metrica structura
ad vtilitatē voluptatēqꝫ accōmodata. Huius pfessores:
p rerū verietate varia esse genera carminū amplexi sunt.
Quidaꝫ enim heroū gesta adnotabāt: τ heroi dicebātur.
Quidā res lugubres τ tristes: vt Elegiographi. Alij in
carpāda mortaliū vicia aīos intēderunt: vt Satyrici. Alij
aduersas regū fortunas miserabilesqꝫ coꝝ exitus discribe
bant: vt Tragici. Alij priuatos hoīum casus τ domestic⁹
actus obibāt: vt Comici. Alij deoꝝ heroūqꝫ laudes pu-
gilū victores: Amores iuuenū Sodalitia equaliū decata-
runt: vt Lyrici. Alij fabellas humiles que tn̄ occulto sub
tegmine aliquid moralitatis suggererēt: vt Apologetici.
Uerum qm̄ hec tibi cognita esse nō dubito: qȯ τ vulgaria
sint: τ quotidiano quasi vsu ꝯtrita reliquū mihi fore video
qualiter coꝝ qȯlibet hūane institutiōi cōducat ostendere.
Neqꝫ eni si singula hec diligētius expēdas: te adduci ali-
qua rōne existimē: vt diuinos hos vates: temere: τ nullo
rōnis impulsu: in hec scribēda incidisse credas: vt sup insti
tuēdis mortaliū animis: nū quicꝙ̄ pēsi τ ꝯsilij adhibuisse.
Pretereo igit q̄ de singuloꝝ istoꝝ carminū auctorib⁹: va
rijs disputationib⁹ iactātur. (Nulla siquidē sup eo alter-
catio inter nos vertit.) Inuētionis solūmodo cā: τ qȯ pri-
muꝫ ad talia scribēda aīos vetustioꝝ adegerit (qm̄ i eo oīs
nr̄a cōtentio est) enarrāda videt. Ut itaqꝫ ab eo potissimū
exordiar: in quo Maronis nr̄i poetarū oīum absqꝫ cōtro-
uersia pncipis virtus vel in primis emicuit. Uidet ne tibi
quum opus heroicū suscepit: aurib⁹ studuisse solūmodo:

neq3 in Enea vel principē clementissimū exp̄sisse: vel opti
mu3 impatorē? Quid qḋ oīum q̄ recitat: eā ꝓprietatē emu
leꝛ: vt nō aliud affinxisse videaꝛ: quā ex singuloꝝ naturis re
colligas. Hinc diuersarū (vt Macrobius ait) Inter He
roas suos ꝑsonarū magnificatio: hinc deoꝝ interpositio.
hinc auctoritas fabulosoꝝ: hinc affectuū naturalis exp̄ssio
hinc monumentoꝝ ꝓsecutio? hinc pabolarū exaggeratio:
hinc terrētis oꝛonis sonitus: hinc deniq3 rerū singulaꝝ cū
splēdore fastigiū conspiciꝛ. Quid multa? Du3 historiā fa
bulosam cōplectiꝛ. Ita tn̄ sui vbiq3 siñs est: vt nō alr̄ atq3
ipse cometus sit: rem gestā fuisse credam⁹. Quapropt nō
est cur existimes diuini hui⁹ carminis maiestatē ꝑperā3 su
sceptā. Tot eni fere secretioꝛū mysterioꝛū cōtinet: quot hz
v̄ba. Neq3 quicq̄ est: qḋ nō aut e ph̄ia: aut sacroꝛū rōne:
